



*N. Pragmanni Juris publici professori. etc.*

*27/133*

*1779*

*1717, 12*

*17*

NICOLAI PRAGEMANNI,  
ICTI CELEBERRIMI  
IN ACADEMIA FLORENTISSIMA SALANA  
COMMENTATIO IVRIDICA  
DE  
GENVINA NOTIONE  
SERVITVTIS  
PRAEDIORVM VRBANORVM,

GERMANIS:

Vom Unterscheid der Stadt- und Garten-Lust-Häuser, auch  
Mänerhöfe, deren schulbigen Erdkultungen in Durch- und Wassergängen, in  
Licht- Bau- Trauf- und Zaun-Rechten, 2c. 2c. bestehend.

QVONDAM

ET QVIDEM D. XVI. IVLII A. MDCCXVII.  
E CATHEDRA PVBLICA DISPVTATIONIS LOCO  
EDITA.



I E N A E,  
REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1759.



NICOLAUS BRUNNEN

AN DER UNIVERSITÄT ZÜRICH

GELENDIGT VON

GEORG VON

8 15 18

BRUNNEN

VERLAG

18

BRUNNEN







I. N. D. N. I. C.

CAPVT I.

DE

CONTROVERSIIS CIRCA  
RERVM NOTIONES ET ADPEL-  
LATIONES IN GENERE.

*Veritas indaganda, §. I. Sed non omnis, §. II. adeoque nec inutilis, §. III. aut quæ circa verba versatur, §. IV. quod tamen faciunt haud raro Fcti, §. V. & Leges, §. VI. Sæpe tamen utile vocum studium est, §. VII. nempe quando essentialis rei conceptus in vocabulo latet, §. VIII. quando peculiaris inest emphasis, §. IX. Homonymia, §. X. Synonymia, §. XI. Et in membris divisionum, §. XII.*

A 2

§. I. Ve-





Veritatem, quam in falsi examine acerrime indagandam volunt leges, v. l. 22. C. ad L. Cornel. de fals. & in causis Clericorum diligenter perscrutandam injungunt canones v. c. 23. d. 86. repetitus, c. 2. c. 15. q. 7. in omnibus & negotiis & personis summopere ad amandam esse, nemo diffitebitur. Indita quippe à summo creatore homini est ratio, quæ verum à falso discernere queat, & ex vero verum invenire, ut non brutorum instar quavis perceptione contenti simus, sed ideas cum ideis comparemus, convenientias & differentias idearum examinemus, & intervencu aliarum idearum comprobemus. Unde laudandi omnino sunt, qui hoc modo veritates ab aliis traditas addiscunt; qui novas veritates ipsi inveniunt; qui veritates aliis sive ore, sive calamo tradunt; qui veritates ab erroribus aliorum vindicant. Cumque posteriores duo prioribus vel eo nomine præferendi sint, quod & priorum labor supponatur, & in plurium usum dispense-  
tur; majorem etiam non solum industriam adhibebunt.



bebunt, verum & cautionem. Unde tradenda est & inventa & vindicata veritas, sed nec omnis, nec omni, nec semper, nec ubique, nec omni modo.

§. II. Possent singula hæc prolixiori discursu illustrari, sufficet tamen pro scopi nostri ratione inquisivisse, an omnis veritas disquisitionem mereatur. Propendent ad affirmativam, qui absolute veri cognitionem commendant, & pro summo propemodum bono habent. Urgent hi, solam cognitionem veritatis maxime efficere, maxime constantem esse, majorem inde potentiam, majorem lætitiã, minorem tristitiã sequi, omnesque veritates utiles esse, quia intellectum perficiant in cognitione veri, imo & in applicatione utiles esse omnes, quia licet in præsens utilitas nulla appareat, ea tamen temporis tractu sapius se exleat. Verum enim vero rei dignitas ex effectu non ex affectu dijudicanda est, & inutilium veritatum cognitio quosdam afficit, quosdam afficere non potest, qui semper quærent: Cui usus? Constantia rei laudem auget, ipsa non producit; Lætitiã ex affectu & propensione hominum nascitur, & cum hæc in multis deficiat, ad illam frustra provocamus. Intellectum omnes veritates perficere ad-



mitti non potest, nisi latiori sensu intellectum perficere est memoriam onerare. Nec sufficit perfectio intellectus infinita, cum cogitatione hominis essentia non absolvatur, neque tam inutilibus veritatibus intellectus perficitur, ut non facilius opera, majori commodo utilissimis veritatibus acui queat. Unde & qui inutiles veritates addiscunt, ut aliquando fructum, quem adhuc ignorant, percipiant, & majorem impendunt laborem, quam sperare possunt fructum, & spe sæpe inani deluduntur. Sunt enim veritates multæ, quarum usus esse nullo tempore potest, imo sunt nunquam utiles, sæpe noxiæ futuræ.

§. III. Maximopere ergo reprehendendi videntur illi omnes, qui vel docent veritates noxias, vel magno apparatu docent veritates nullum aut exiguum usum habituras. De priori classe jam occupati non sumus; qui tamen evolvet catalogos & scriptores de libris prohibitis, inveniet, innocentes quidem sæpius, sed haud raro etiam maxime nocentes damnatos esse. Si vel duos libros nominare vellemus obscœnitatis omnis plena systemata, picturis spurcissimis illustrata, satis thesæos veritas patesceret; sed & hujus veritatis cognitionem noxiam fieri posse, arbitramur  
cum



cum Excell. Dn. Struvio *Introduct. ad notit. rei liter. c. 8. §. 42.* Posterior classis adeo numerosa est, ut integris libris anam dederit. Quo nomine commendandus *Sam. V. Verensfeldus in tract. de Logomachiis eruditorum. Dom. Bœbmer. in Pro- lusione de bellis litterariis*, quæ in fasciculo pro- lusionum est tertia. *Dn. V. Valchius in observatione de nugis & bellis Grammaticorum*, quæ quinta est in *Miscellan. Lips. Tom. 1. Hilscherus de ægyptiis eruditorum*; ex quibus pauca delibare, quædam adjungere licebit.

§. IV. Cumque ex puncto & litteræ omnes & numeri & lineæ & figuræ nascantur, de ipso pun- cto & quidem grammatico solum sex libros ela- boravit Nicanor, Grammaticus Alexandrinus. Circa litteras plures occupati fuerunt. Pertinent huc disceptationes, cur in lingvis A sit prima litte- ra? cur Homerus ab *a* Odyssæam, Iliadem à *μ* auspiciatus sit. Utrum Virgilius, an vero Vergilius sit dicendus? quomodo diphthongus ac sit pro- nuncianda? Pertinet huc etiam his inter Manu- tium & Lambinum, Dn. Bœhmero & Dn. Wal- chio commemorata, num scribendum *consumtus*; an *consumptus*? cujus rei testis adducitur Boccalli- ni. Licebit tamen hic obiter observare, primum,  
non



non Boëcalinum relat. 44. sed 53. & quidem centu-  
 riæ primæ rei hujus mentionem facere. Deinde  
 vix vero simile videri, quod Manutius veterem la-  
 pidem in quo *consumptum* extiterit, Lambino in  
 os conjecerit, ut quod ait Dn. Walchius, hic subin-  
 de magnum dolorem perceperit, vel plane, quod  
 cum ipso Boccalino asserit Dn. Boehmer ipsi na-  
 sum lapis confregerit. Nam litem per se acerbam,  
 fictionibus suis adauxisse & ridiculam reddidisse  
 videtur more suo autor relationum, in quibus ple-  
 raque alia pro ratione instituti ficta esse, nemo dis-  
 fitetur. Adhuc plures de vocibus disceptarunt!  
 Annus nondum præterlapsus est, cum alicubi de  
 pronuntiatione vocis *appendicis*, utrum penultima  
 brevis sit, an longa tam acriter disceptaretur, ut  
 non solum sponso 100. ducatorum fieret, sed & de  
 petendis responsis academicis à facultatibus philo-  
 sophicis ageretur. Certe consilia in hac causa pe-  
 tita sunt, etiam ex Salana nostra. Plura hic adde-  
 re, supersedemus. Quis enim enarraret omnes  
 controversias de vocum pronuntiatione, puritate,  
 declinatione, etymologia, in quas suo modo om-  
 nes applicari posset, quod de Menagii studio ety-  
 mologico facere pronuntiavit Christina Sveciæ  
 Regina: *Mr. Menage est un tres savant persona-*

ge,



*ge, mais il est le plus incommode du monde. Il ne sauroit laisser passer le moindre mot sans son passeport, il veut sçavoir, d'où il vient, & où il va.*

§. V. Falluntur autem, qui his modis solos Grammaticos & criticos inanes lites movisse, autumant. Sane jam Periergiam Rhetorum, Poetarum, Mathematicorum, Logicorum, Physicorum, Metaphysicorum, Historicorum, Ethicorum, Politicorum, Scholasticorum singularibus enarravit capitibus laudatus ante Hilscherus. Idem in superioribus facultatibus fieri posset. Nec Jurisconsulti, quorum doctrina tota practica esse debet, satis sibi semper caverunt, quin in veritatibus parum aut plane non utilibus, magna opera & prolixè verlati sint. Memini, amicum asseverasse, Doctorem Juris sibi notum, omnes voces in Compendio Lauterbachiano æque ac Syntagmate Struviano numerasse, ut inveniret magnitudine hos libros sibi æquales esse, & 17. tantum vocibus differre. Huc pertinent disputationes, cur sint 4. libri Institutionum, 50. Pandectarum, 12. Codicis, cur 99. Institutionum tituli, 7. Pandectarum partes, quomodo differant instituta & institutiones, unde dicatur infortiatum, cur Digesta scribantur per ff., Decretales per X.; nec dubitamus, huc referre li-

B

tem



tem acriter satis agitatam, quæ nam sint 50. novæ  
 decisiones Codici insertæ. Dum enim alii eas ex  
 inscriptione, alii ex subscriptione, alii ex verbo de-  
 cisionis, alii ex dato 530. lqq. alii ex veteris Juris e-  
 nucleatione, dijudicant. *vid. Ludovelli Diff. de 50.*  
*Justin. Decis. junct. Exercitationibus, & Strauch.*  
*ad L. decisiones;* his tota inanis videtur, cum hæ de-  
 cisiones ab aliis Codicis Legibus non differant, nec  
 solæ derogent fhis, sed totus potius Codex. Si-  
 militer huc referenda videtur distinctio inter Leges  
 Canonizatas & registratas, *de qua Strauch. de O-*  
*rig. Juris Can. th. 28.* Nam in Decretalibus qui-  
 dem registratæ nullæ, canonizatæ pauca reperiu-  
 tur. *vid. auth. credentes C. de heret. insertam c. 13.*  
*§. 5. X. de heret. add. c. ult. X. de consuet. cui ferme*  
*quoad verbum correspondet l. 2. C. que sit longa*  
*consuetudo.* Decretum vero in quo & leges regi-  
 stratæ & canonizatæ inveniuntur, nec à Pontificiis  
 plene probatur, nec inter Protestantes majorem  
 habet auctoritatem, quam autores, unde compli-  
 latum.

§. VI. Sed & veteres Jcti circa vocum de-  
 rivationem nimium quantum hæere solebant, id-  
 que ex principiis sectæ suæ. Jcti illorum tempo-  
 rum propemodum omnes erant stoici. Unde stoici-  
 cam



cam sapientiam dicit summam Marcianus *L. 2. de LL. & Stoicos in officiorum & Jurium tractatione potissimum sequendos arbitratur Cicero offic. Lib. 1. c. 2.* qui tamen simul testatur *c. 7. Stoicos studiose exquirere, unde verba sint ducta.* Unde videmus in legibus nostris disputari, utrum furtum à furvo, an à fraude, an à ferendo, an à Græco *φίεργα* *L. 1. ff. de furt. §. 2. F. de Obl. qua ex Del. miles à durtie, multitudine, malo, mille, l. 1. §. 1. de militari testam. an tutores appellentur quasi tutores, sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur, L. 1. ff. de tutel. §. 2. F. de tutel. an mutuuum quod de meo tuum fiat, §. 2. l. de reb. cred. pr. l. quibus mod. re contrab. Obl. possessio à pedibus quasi positio *L. 1. ff. de acquir. vel omitt. poss. stipulatio à stipite pr. l. de Verb. Obl. magister à monendo vel monstrando, L. 57. de V. S. Jus à Justitia, L. 1. ff. de Justit. & Jure. servi à seruiendo mancipia quasi manucapti, l. 4. §. pen. & ult. ff. de statu Hom. §. 3. F. de Jure person. manu- missio quasi de manu missio aut de manu datio, l. 4. ff. de F. & F. pr. F. de Libertinis. arrogatio à ro- gando, l. 2. de adopt. à quærendo quæstores, l. un. §. 1. ff. de offic. questoris. Satisfatio quasi satisfactio, l. 1. ff. qui satisfacere cog. quid edere, l. 1. de e- dendo. an pactum à pacione cum pacis nomine de- scendat,**



scendat, *l. 1. §. 1. de pactis.* institor, nominetur, quia  
 instet, *l. 3. de instit. act.* peculium quasi pusilla pe-  
 cunia. *l. 5. §. 3. de peculio.* Depositedum à ponendo  
 & præpositione de, quæ habeat vim augendi, *l. 1. pr. de depositi.* Divortium à diversitate mentium *l. 2. pr. de divort.* cognati quasi ex uno nati, *l. 1. §. 1. unde cognati.* Damnum & damnatio ab ademptio-  
 ne, *l. 3. de damno infecto.* Publiciani, quasi qui pu-  
 blico fruuntur, *l. 1. §. 1. de publican.* exceptio quasi  
 exclusio, *l. 2. §. 1. de except.* novatio à novo, *l. 1. pr. de novation.* injuria quasi non jura, *l. 1. pr. de injur.*  
 municipes quasi muneris participes, *l. 1. ff. §. 1. ad mu-  
 nicipal.* telum à græco τηλῆς, sicarii à sica, *§. 5. f. de  
 publ. Judic.* postliminium à limine & post, limen  
 quasi tuis, *§. 5. f. quib. mod. Jus patr. pot.* occidere  
 à cædendo, *l. 51. ad L. Aquil.* Sic disputabatur  
 præter necessitatem, an stipulatio fieri possit alia  
 etiam quam latina græcave lingua, *v. l. 1. §. 6. ff. de  
 Verb. Obl. §. 1. l. eod.* an eadem sint κελύω, λέγω, θέλω,  
 βέλωμαι, Φημι. *l. 8. pr. ff. de fidejuss.* item, rogo, volo,  
 mando, *l. 1. §. 2. ff. mandati.*

§. VII. Cum autem multa videantur, quæ  
 non sunt, multa quoque inuicta videntur, quæ  
 sunt utilissima, ut quantum quidem reprehenden-  
 di, qui circa voces hærent præter necessitatem, tan-  
 tam



tam quōque mereantur censuram, qui omne litterarum & vocum studium reprehendunt. De puncto rantopere disputari, supra reprehendimus, sed sapius de puncto nobilis est controversia, notus versiculus:

Ob solum punctum caruit Martinus Affello

*Cum hic in Cœnobii porta scriberet:*

Porta patens esto nulli. Claudatur honesto.

*Quem versus successor ita corrigebat:*

Porta patens esto. Nulli claudatur honesto.

Vitam unico puncto servavit Fairfaxius, qui cum sententiam capitalem Caroli I. his verbis subscripsisset: si vos consentitis, ego non Dissentio, ultimas duas voces puncto dimittens dissentium potius quam consensum successori Carolo ostendit. *Dn. Ludovig. ad Puffend. p. 8.* De unica littera actum est, cum

captus erat Princeps non Marte, sed arte,  
Philippus.

item, cum Pharmacopola pro opio opium legeret, vel alius pro Rhabarb. opti. i. e. Rhabarbari optimi, Rhabarbari & opii, & alius adhuc pro aq. 9fort. aq. fort. De verbis sapius adhuc utilis est disputatio. Licet enim scire Leges non sit ver-



ba tenere, sed vim atque potestatem *l. 17. ff. de LL.* neque oporteat Jus calumniari, neque verba caprari, sed qua mente quid dicatur, animadvertere, *l. 19. ad exhibendum*, optimumque sit, non propriam verborum significationem scrutari, sed ad voluntatem respicere, *l. 18. §. 3. de instructo*. tamen & adducta superius exempla ostendunt, quam sæpe & præter necessitatem ab his regulis discesserint Jcti Romani, & sæpius necessario vel saltim utiliter id fieri ostendet sequens tractatio, qua utile verborum studium certis regulis comprehendemus.

§. VIII. Et principio quidem utilis videtur opera, quæ in eruendis vocibus occupata est, QUANDO ESSENTIALIS REI CONCEPTVS IN IP SO VOCABVLO LATET. Sic de objecto Jurisprudentiæ multa disputari solent, quæ ex ipsa Jurisprudentiæ appellatione jam patescunt. Est enim prudentia Juris, i. e. aptitudo versandi circa leges. Versari autem circa leges non aliter possumus, quam illas vel explicando vel applicando. Unde apparet, cogitationes, actiones naturales, impossibilia, cultum Dei internum, non esse objecta Jurisprudentiæ, quia circa hæc omnia ita versari possumus; in quantum vero possumus esse objecta Jurisprudentiæ. Hinc differentia à Theologia,



logia, cum ea etiam faciendâ præscribat, *Luc. X. 25. Act. II. 37. XVI. 30.* & cum Jurisprudentiâ etiam scripturam pro fonte agnoscat, & de cultu divino agat. Hinc differentia à Philosophiâ, quæ etiam est divinarum atque humanarum rerum notitia. *Cic. de offic. Lib. 1. cap. 43. & lib. 2. c. 2.* hinc divisio in doctrinalem & judicialem; hinc denique apparet propriè Jurisprudentiâ in legislatóriam & judiciariam dispelci non posse. Sic juris naturalis appellationem perpendere est ipsa juris naturalis principia explicare. Est enim Jus, i. e. norma à Superiori præscripta. Unde principium essendi in ipso Deo querendum est, qui solus Superior, respectu totius generis humani, hinc etiam effectus apparet, scilicet Jus hoc non dare consilia, sed leges præscribere, non propter naturam, nec propter commodum, sed propter Deum observandum, ut renunciare non liceat. Est autem Jus naturale, i. e. ex natura ipsa innotescens, hinc principium cognoscendi non aliunde, quam ex ipsa natura & naturali hominis ad objectum, cui officia debentur, relatione petendum. Sic non inutiliter monet *l. 4. §. 3. ff. de gradibus* ad fines dictos ab eo, quod duæ cognationes, quæ diversæ inter se sint, per nuptias copulentur, & altera ad alterius cognat



cognationis *fines* accedat ; hinc enim apparet, ad-  
 finitatem totam omnesque regulas ejus absolvi so-  
 la applicatione consanguinitatis unius ad fines alte-  
 rius, hinc consanguineos conjugum inter se non es-  
 se adfines, quia ultra fines applicaretur cognatio  
 altera. Nec penitus est ridiculum ut L. Valla *Lib.*  
*6. eleg. 36.* arbitratus est, testamentum dici quasi te-  
 stationem mentis §. 1. *I. pr. de testam. ordinand.*  
 Genuinam quidem hanc esse etymologiam, & sua  
 natura duplex hoc verbum, vix admittit critico-  
 rum rigor. Limites transiit Gædæus ad L. 164.  
*de V. S. n. 6.* qui Gellio *noct. Att. lib. 6. c. 12.* calcea-  
 mentum, pavimentum, vestimentum objicienti  
 respondere ausus est, & hic mentem, licet non eo  
 gradu, concurrere ; Cui ideo Bachovius ad  
 Treutl. *Vol. 2. Disp. 10. thes. 1.* & Vinnius ad *l. c. 1.*  
 objiciunt excrementum. Sed ipse tamen Gellius  
 c. 1. fatetur, non abhorrentem nec inconcinnam  
 mentis hic occurrere significationem, & vel hinc  
 inter alia multa apparet in testamento voluntatem  
 debere certam esse, nec vi aut dolo productam,  
 excludi furiosos, mente captos, pupillos, servos,  
 filiosfamilias, hos propter *l. 4. ff. de R. I.*

§. IX. Secundo utilis videtur verborum  
 disquisitio, QUANDO IN VERBO ALIQUO PE-  
 CVLIA-



CVLIARIS LATET EMPHASIS. Solent hoc nomine Theologi verba SS. accuratius perpendere, & singula saepe; Sed JCtis quoque emphases non deficiunt. Pertinet huc regula JCtorum, verba cum effectu accipienda esse, *l. 5. §. 2. ff. ne quis eum, qui in jus vocat.* Sic quando edicto sancitum est, ut, qui novi Juris quid in aliquem statuerit, eodem Jure ipse utatur, recte urget *l. 1. §. 2. quod quisque juris in alium, vocem statuerit*, ut ita non sufficiat, si quis volens statuere prohibitus sit. Sic quando demonstramus, restitutionem in integrum non tantum denegari, si remedium superfluum ordinarium, sed & si expiraverit, recte urgemus praeteritum *habuit in L. 1. de dolo malo.* Sic cum quidam ex *l. 1. §. 3. de minor.* ostendere velint, minoribus invitis apud Romanos quoque curatores datos esse, recte urgemus verba *in hanc usque aetatem*, quae uberius dein explicat *L. 3.* ex ejusdem Ulpiani eodem lib. II. ad edictum excerpta. Sic emphatice vox *quasi* usurpatur in *l. 8. de minor.* ne videatur ex contumacia, & sic ex dolo dari restitutionem, contra *L. 37. in fin. eod.* Sic in edicto *de his, qui effuderint, l. 1. §. 9.* urget vocem *habitare*, & ita dicit teneri sive in suo, sive in conducto, seu gratuito ibi habitet, non vero hospitem. Sic modo non re-

C

fra-



fragetur substrata materia, non frustra urgemus  
 culpæ nomen simpliciter positum, ut culpam le-  
 vem indigemus *l. 6. § 9. de Fur. Ignor.* Solent  
 theologi ad emphasin quoque referre nomina mu-  
 nerum, quæ officia muneribus conjuncta, vel aliud  
 quid notatu dignum ostendunt, exemplo Augu-  
 stini, qui Episcopi nomen non honoris, sed labo-  
 ris dixit. Hanc quoque emphasin sectantur Jura.  
 Hinc licet §. 6. ostensum sit, quantum circa inania  
 vocabula hæreant Juri in Digestis, & ipse Justinia-  
 nus, ubi Doctorem agit in Institutionibus; Co-  
 dex tamen ab hujusmodi ineptiis purus est, & sub-  
 tilitatem appellat, varia nominum vocabula am-  
 plecti, *l. 2. C. de constituta pecun.*, ut vix de appella-  
 tione sollicitus sit, nisi hoc in unico casu. Nam &  
 in Codice aliquoties nominis admonentur, qui in  
 statu vel officio constituti sunt. Sic monachi ob-  
 servare debent patientiam, modestiam, quam le-  
 ges & publica disciplina & ipsorum monachorum  
 nomen exsolcit, *l. 26. C. de Episcopis & Cler.* Sic  
 & præfecto urbi & præfecto annonæ cura esse de-  
 bet annonæ, ita tamen, ut hic illius meritum agno-  
 scat, & ille ex ipso hujus nomine sciat, quid præfe-  
 cto debeatur annonæ, *L. 1. C. de offic. præf. urbi.*  
 Sic defensores civitatum nihil sibi insolenter, nihil  
 inde-



indebitum vindicantes nominis sui tantum fungantur officio. *L. 5. C. de Defensor. Civitat.*

§. X. Tertium usum ostendit HOMONYMIA. Natura enim rerum inductum est, ut plura sint negotia, quam vocabula, *l. 4. ff. de prescript. verb.* Quo factum est, ut aut analogia, aut casu una vox pluribus rebus tribueretur. Hinc homonymia errorum genetrix, quæ efficit, ut sensum vocis inquirere necesse sit, nec sine hac rite formari queat status controversiæ. Referenda huc est appellatio Juris vel pro facultate personæ, vel pro lege, & legis iterum pro pacto & pro decreto Superioris, quæ distinxisse, in pluribus materiis Juris est admodum proficuum. Sic tota de Jure Gentium Disputatio videtur discernenda ex homonymia Juris Gentium *vid. Illustris Dn. Thomas. fundam. Jur. Nat. & Gent. Lib. 1. c. 5. §. 65. seqq.* Sic cum invitus mox denotet eum, qui contradixit, mox eum, qui nondum consensit, recte disquirit *l. 8. §. 1. de procurat.* quo sensu invitus procurator dari nequeat. Sic disquirit *l. 52. §. 1. de legat. 3.* utrum centum libri sint centum volumina, an vero connumerandi in uno volumine plures libri? & eadem *l. 52. §. 7.* utrum bibliotheca armaria denotet, an libros in armaris? & *l. 55. eod.* an ligni appellatio



contineat omne lignum, an vero id tantum, quod  
 comburendi gratia comparatum est? Talia ob-  
 servasse in ipsis connectendis titulis ff. est proficu-  
 um. Solent interpretes torquere connexionem  
 tituli nautæ caupones stabularii cum præcedenti,  
 quæ tamen optime in vocabulo receptorum latere  
 videtur. Actum enim erat *tit. 8. de receptis*, qui  
 arbitrium receperunt. Unde incidit in compila-  
 toris memoriam materia receptorum à nautis resti-  
 tuendorum. Simili ratione titulum de negotiis  
 gestis forte sequitur ille de calumniatoribus. Prio-  
 ri scilicet titulo ex Ulpiani Lib. 10. ad edictum com-  
 plures leges excerptæ erant. Disputaverat forte  
 ibi Ulpianus de eo, qui alterius negotia gerit vel  
 facit, & alium sensum hujus phraseos adduxerat.  
 Unde *tit. 6. statim l. 1. ex eodem Ulpiani ad edictum  
 lib. 10. desumpta* loquitur de eo, qui calumniæ cau-  
 sa negotium facit. Et licet hic quidem realis con-  
 nexio facile excogitari queat, quæstio tamen non  
 est, quomodo connectere possis, sed quid compila-  
 torem probabiliter ad connectendum moverit.  
 Quod si perpendenda est homonymia, ubi uter-  
 que significatus frequens est, multo accuratiorem  
 vocabula considerationem merentur, quando al-  
 teruter sensus est rarior & à communi recedit. Sic  
 cum





cum injuria vulgo denotet contumeliam, *L. s. ad L. Aquil.* recte monet, ibi intelligi omne, quod non jure factum sit. Cum vulgo occidisse dicatur, qui mortis causam quolibet modo præbuit, lege Aquilia is demum occidisse videtur, qui quasi manu causam mortis præbuit, *L. 7. §. 6. ad L. Aquil. l. 51. eod.* Scriptum vulgo dicitur, quod litteris comprehensum, unde monendum, omnino Jus scriptum dici omne expressum, ut scriptum possit esse sine scriptura, & non scriptum litteris comprehensum. *vid. Hilliger. ad Donell. Lib. 1. c. 8. Lit. B.* Unus nummus vulgo monetam certam denotat, in materia emtionis vero pretium plane non proportionatum, ut hinc subsistere possit venditio rei, quæ non plus quam nummo vendi solet, non subsistat venditio rei pretiosa, licet pro aliquot thaleris vendita.

§. XI. Quartam regulam suppeditet *NON TMI A.* De Arabica lingua j. citant, in ea 1000. verba gladium, 500. leonem, 400. infortunium, 200. lac, 80. mel, & 100. selem denotare; quod tamen falsum esse ostendit *Histoire Critique de la Republique des lettres de 1713. tom. 4. p. 127.* In omnibus tamen lingvis, ut una res pluribus verbis exprimatur, efficit aut analogia in pluribus



primitivis inventa, aut casus. Ne ergo aliud vo-  
 cabulum aliam rem denotare videatur, proficua  
 est & hic de vocabulis sollicitudo. Sic omnes a-  
 ctiones reales vindicationes appellari, ideo notan-  
 dum, ne vel aliud quid vindicationem arbitremur,  
 vel confundamus cum Rei Vindicatione, genus  
 cum specie. vid. *Bocer. class. 5. Disp. 26. n. 2.* Sic  
 memini, quendam beneficium ordinis habuisse  
 pro beneficio ordini seu dignitati tributo, igno-  
 rans, ita appellari beneficium excussionis. Sic ne  
 condictio certi cum aliis confundatur, non inutile  
 est, dixisse, ita nominari actionem ex mutuo; Ne  
 actio hypothecaria confundatur cum pignoratitia,  
 illam appellasse Servianam. Referenda huc erit  
 actio de pastu, cujus mentio fit *l. 14. §. fin. de P. V.*  
 Nomen solum sola hæc Lex commemorat, nil præ-  
 terea, & tamen secundum ingenium adinvenit,  
 cui detur hæc actio, contra quem, ad quid, qua-  
 nam sit directa, quamam utilis, in primis supponi  
 animal, quod aliena pascua depascatur, noxæ dan-  
 do dominum non liberari, damnum præcise resar-  
 ciendum, æstimari non tantum ex præsentis status  
 sed & ex futuro lucro, & quæ id generis alia, de  
 quibus late *Zæf. ad tit. Si quadrupes n. 7.* & latius  
 adhuc



adhuc *Oldendorp. class. 6. actione 19.* ipsi autem DD. incertitudines hinc venientes subinde notant.

§. XII. Quinto denique MEMBRA DIVISIONVM ita comparata sunt, ut soleant uno, vel paucis vocabulis distingvi, quæ nisi accuratius perscrutemur, nec secundum regulas divisionum ea examinare possumus, nec ipsam divisionem rite intelligere. Cumque supponatur divisio non otiosa, sed cujus membra in effectu differunt, facile apparet, quanta hinc in ipsa praxi vitæque communi expectanda sit utilitas. Sunt certe multæ divisiones plane otiosæ, quas operose addiscere opus non est, paucis tamen evolvere perutile, ne mysteria magna subesse arbitremur. Pertinent huc divisiones hypothecæ tacitæ in duram & mixtam, vel in eam, quæ datur ob favorem debiti, ob favorem creditoris, & ex præsumta voluntate, in quibus omnibus nulla est differentia in effectu, nec in causa alia, quam accidentalis, prout statim apparet evolventi ipsos distinctionis terminos. Clarius adhuc ea res apparet in magnifica divisione Juris Naturalis & Gentium, in primævum & secundarium, ubi cum quatuor videantur esse species: Jus naturæ primævum, Jus Gentium secundarium, Jus Gentium primarium, Jus Gentium secundarium,

EVO.



evolutis terminis tres tantum, & ne hæ quidem ma-  
 nent, cum quatuor definitis tres tantum definitio-  
 nes tribuant, & has non adeo accuratas, ut statim  
 appareat, eas intemptivo Justinianearum non le-  
 gum sed doctrinarum obsequio confarcinatas esse.  
 Sunt vero multæ divisiones, quæ otiosæ videntur,  
 & non sunt. Contractus, quod vel stricti Juris  
 vel b. f. dicantur, multi tanquam ineptas Romano-  
 rum subtilitates rident, cum tamen id discrimen in  
 ipsa contractuum natura satis fundatum sit. Quip-  
 pe unilaterales sunt stricti Juris, quia interpretatio  
 semper fit contra eum, qui clarius loqui debuisset,  
 & hic semper clarius dici potuit, quid ab uno uno  
 modo & simpliciter præstari debeat. Bilaterales  
 autem sunt b. fidei, quia cum hic utrinque aliquid  
 præstandum sit, non potest ab initio determinari,  
 quid à diversis diverso modo & reciproce, imo sæ-  
 pe ex post facto fieri debeat, ut hic non scriptum  
 pro scripto sæpius habendum sit. Ususfructus in  
 formalem & materialem divisionem rident multi,  
 cum tamen materialis ususfructus sit verum ens, &  
 hæc distinctio egregie adhiberi queat, pro illu-  
 stranda tota materia ususfructus, usus, dominii  
 pleni, minus pleni, feudi, emphyteuseos. Possent  
 hæc prolixius & pluribus exemplis comprobari,  
 sed



sed sufficet una, circa quam hac vice versabimur, divisio servitutum in prædiorum urbanorum & rusticorum servitudes. De quarum conceptu & appellatione solliciti non veremur, ne nobis obiciatur vel inanis subtilitas, vel logomachia supervacua. Nam & ipsa servitutum materia in foro quidem frequens est, ut quotidianam appellet *B. Stryckius Us. mod. de servitut. rust. præd. §. 1.* & nulla ferme ad eam pertinens conclusio intelligi rite potest, nisi intellecta appellatione. Quam quidem non secundum etymologiam, homonymiam, synonymiam & paronymiam, sed ita pertractabimus, ut primo quidem ostendatur, quænam sint prædia, post, quæ prædia urbana, tandem, quænam servitudes prædiorum urbanorum. Denique paucis addemus quis tractationis usus, tam in materia servitutum, quam in aliis Jurisprudentiæ materiis, quæque prædiorum urbanorum & rusticorum differentiæ. Quæ singula eo magis accepta fore speramus, quo magis legum sensum genuinum, non vulgares & contortas sequemur interpretationes.

D

CAPVT



CAPVT II.

DE

GENVINA NOTIONE  
PRAEDIORVM.

*Prædiorum analogæ, §. I. Superficies & solum, §. II. Possessio, §. III. Fundus, §. IV. Res immobilis, §. V. Hortus, ager, terra, §. VI.*

§. I.

**D**e vera notione & appellatione servitutum prædiorum urbanorum acturis patescit, tria consideranda esse, 1. quid sit prædium, 2. quid prædium urbanum, 3. quid servitus prædiorum urbanorum, ex quibus, cum posteriora duo satis ambigua reddantur DD. disceptationibus, minus dubium videtur prius. In prædiorum autem disquisitione etymologiæ non immoramur. Nec disquirimus, utrum prædium quasi prædium, an quasi providium, an à præda, an à præstando derivetur. *conf. Mollenbec. cent. 1. div. 84. num. 1.* Licet enim & etymologia hic non mere sit grammatica, sed juridicos conceptus suppeditare possit, longe incertior tamen est quam jura, ad quæ applicari posset, & quæ vel sine illa manifesta sunt.

Nec



Nec homonymia ad scopum nostrum facit, quo alioquin referri posset, quod prædia olim appellata sint remedia, teste Sexto Pompejo Festo *de Verborum Significatione*, p. 173. nisi tamen ibi corrupta est scriptura & pro *prædia* legendum *præbia*. Synonymiam autem perpendere, erit fructuosius. Licet enim quaedam vocabula aperte species aut partes prædiorum denotent, ut ager, arbutum, arvum, alveare, aucupatorium, campus, hortus, huba, olivetum, manlum, palatium, plantarium, pomarium, pratum, prætorium, Salictum, stabulum, terra, venatorium, vicus, villa, vinea, vivarium. Quaedam tamen facilius cum appellatione prædii confunduntur, ut non inutile videatur ea considerare, & à prædiorum natura discernere.

§. II. Pertinent huc *Superficiæ & Soli* vocabula, quæ conjunctim perpendimus, cum correlata sint, neutrum vero prædii Synonymum. Solent quandoque Juri dum sollicite cavent, ne superficiem cum usufructu confundant, eandem cum prædio confundere & asserere, quod Jus superficiæ ipsum solum afficiat. *vid. Struv. Jurispr. Lib. II. tit. 12. §. 22. Stryck. ad Lauterb. p. 917.* cum tamen in eodem prædio sibi opponantur superfici-



ciēs & solum l. 81. §. 3. de legat. 1. l. 23. ff. de usucap.  
 Unde simul apparet, caute procedendum in tolem-  
 ni argumento ab emphyteusi ad superficiem; ne-  
 que enim sufficit, quod utraque rei inhæreat, cum  
 emphyteusis universo prædio, superficies vero illi  
 tantum, quod super faciem soli est, cohæreat.  
 Hinc præter alias differentias, de quibus Valascius  
*de Jure emphyteut. quest. 33.* ratione soli maximo-  
 pere differunt. Cum enim ad superficiarium so-  
 lum non pertineat, neque thesaurus in solo inven-  
 tus adjudicari poterit superficiario, neque illi Jus  
 tribui in solo servitutem imponendi &c. ea omnia  
 vero poterit facere in ipsa superficie, ubi repertus  
 thesaurus ad ipsum pertinebit, servitus juste im-  
 ponetur, l. 1. §. f. de superf. l. 3. de servit. Sed cum  
 utile dominium totius prædii, & sic tam superficiæ,  
 quam soli pertineat ad emphyteutam poterit hic  
 idem Jus in utrumque exercere. Dissensus vero  
 DD. inter se mirus in hac materia non videbitur  
 perpendenti, quod vix ulla tam parce à legibus ta-  
 cta sit, quam hæc ipsa. Pauca enim leges illæque  
 fugitivæ agunt de superficiæ natura. Titulus ff.,  
 qui extat de superficiibus, eam vix tangit, & po-  
 tius agit de prætoris interdicto hoc nomine dato,  
 cum dubitaretur, an interdictum uti possidetis pro  
 prædiis



prædiis introductum, ad superficies applicari posset. Huc autem retulimus superficiei & soli appellationem, quia licet strictissimo sensu, superficies de urbanis prædiis tantum prædicetur, latiori tamen ad omnia prædia pertinet. *vid. Müller. ad Struv. exerc. 45. tb. 126. lit. a.*

§. III. *Possessio* quoque pro prædio accipi quandoque solet. Nec enim possessio tantum dicitur detentio, sed ipsam proprietatem quoque significat, *l. 78. de V. S.* & objective denotat id, quod possidetur, *vid. l. 3. ff. de extraord. cognit. speciatim prædium, ut in l. 17. de S. R. P. 2. C. ubi in rem actio. l. 5. §. 10. de rebus eorum, qui sub tutel. conf. Perott. Comment. in Mart. p. 169.* accuratiori tamen & stricto sensu possessio à prædio differt, & quidem juris proprietate, ut loquitur *l. 115. V. S.* Unde cum prædium dicatur absque respectu ad detentionem vel proprietatem, possessio dicitur, quæ vel minus plene in alicujus domino est, ut in *l. 2. C. de omni agro deserto l. 6. C. de fund. patrim. vel ab alio detinetur, quæ alteri propria est, ut in l. 12. C. locati conducti l. 17. C. de usur. vel de qua dubitatur ad quem pertineat, ut in L. pen. de al. Jud. mut. l. 2. C. de probat. conf. Anton. Matthæi de acquir. poss. ff. tb. 1. Gœddeus ad L. 113. d. V. S.*

D 3

§. IV.



§. IV. Sed & fundus pro praedio dici solet. Unde etiam in liberum & servientem dispescitur, *l. 126. de V. S.* & fundus instructus idem est, quod praedium instructum, *l. 92. & 93. de legat. 3. tit. ff. de instructo vel instrum.* Sed proprie à praedio etiam fundus distingvendus est, non quidem rei aut divisione, aut magnitudine, sed affectione, *l. 60. de V. S.* nam praedium etiam hic generalius est, *Vvesenb. de S. U. P. n. 1.* fundus vero est praedii portio animo distincta, ut sic unum praedium in plures fundos distribuatur. *vid. Leiseri Jus Georg. lib. 1. c. 2. §. 7. & 12.* Neque tamen fundus dum portio praedii dicitur, confundendus est cum loco, nam hujus respectu illa ipsa portio integrum constituit, quod dicitur *l. 60. pr. de V. S.* adeoque locus est portio fundi, sicut fundus portio praedii, ea tamen cum differentia, quod locus sit fundi portio etiam latens & non determinata; fundus vero praedii portio patens & determinata, *vid. l. 60. §. fin. de V. S. ibique Gæddæus*, unde & locus quandoque latiore significatum habere potest, quam ipsum praedium, ut cum in Rei Vindicatione res specificè designanda est, in praedio locus etiam indicari debeat. *l. 6. inf. de R. V.*

§. V. Propius ad praediorum conceptum accē-



accedit conceptus *rei immobilis*. Unde servitutes praediales aequè à praedio ac reales, à re immobili, cui inhaerent, dicuntur, *l. 1. ff. de servitut.* Latior tamen est conceptus rei immobilis, quam praedii. Nam cum omnia praedia sint res immobiles multa immobilia non sunt praedia. Immobilia quippe sunt etiam Juris intellectu quaecumque rei immobili cohaerent naturaliter, ut fructus pendentes, *l. 44. de R. V.* item, quae arte cohaerent, ut statuae, nec non quae ad rem immobilem perpetuo destinata sunt, & realiter illata, ut puteorum opercula, & reliqua instrumenta, imò etiam res incorporales, nomina, actiones, Jurisdictio &c. *conf. Mantica de tacit. & ambig. convent. Lib. 4. tit. 15. seqq.* quae omnia ad praedia referri haud poterunt.

§. VI. Alia porro sunt, quae eadem cum praedio videntur, facilius tamen separantur. Sic olim usitator erat *hortorum* appellatio, quam praediorum, & aequè late patebat, vid. *Sext. Pomp. Festus p. m. 73.* Unde *Plinius lib. 19. c. 4.* testatur in legibus XII. tabb. villam aut praedium non nominari, sed hortum semper dici perferunt. *conf. Perott. comment. ad Mart. p. 173. & 643.* Sed ipsi jam Romani locupletata lingua sua horti appellationem  
specia-



specialiorem voluerunt. Sic *ager* quoque pro  
 praedio, imo saepe pro integro territorio dici solet,  
*Perott. pag. 167.* proprie tamen est praedii species.  
 Ipsa terra vox huc pertinet, *vid. l. 33. C. de agric. &*  
*consul. f. C. quodcum eo. Leyser. Jus Georg. lib. 1. c.*  
*2. §. 26.* proprie tamen ad praedia rustica, *cit. LL.*  
 Et haec de appellatione praediorum sufficiant, ne  
 nimirum vocibus inhaerere videamur.

CAPVT III.

DE

GENVINA NOTIONE  
 PRAEDIORVM VRBANORVM.

*Urbanum varie dicitur, §. I. Urbanum  
 praedium omne aedificium denotat, §. II. Absque  
 respectu ad usum, §. III. IV. Sententiae aliorum.  
 §. V. Argumenta pro vulgari, §. VI. Urbano-  
 rum praediorum species varia, maxime horrea,  
 §. VII. Stabula, §. VIII. An & area, hortus, §. IX.*

§. I.

**V**tilius erit, disquirere, quaenam sint praedia  
 urbana, & quae his opponuntur, rustica;  
 ubi leges quidem satis sibi constare videntur, non  
 item



item DD. opiniones, quæ in alia omnia discedunt. Unde conveniens videtur, ut prius veritatem ipsam, post aliorum objectiones & opiniones perscrutemur. Fiet id ita, ut semper cogitemus, nos de prædiis urbanis & rusticis agere, nec enim alium sæpe rustici & urbani conceptum esse, diffitemur. Quo pertinere videtur in primis, quando urbanum dicitur, quod in urbe est. Quo pertinent distinctio ædificiorum in urbana, quæ domus, ædes, & rustica, quæ villæ appellantur, v. *Perott. ad Mart. p. 173.* quo respicit *l. 211. de V. S.* item pinus alia dicitur urbana, alia sylvestris. *Perott. p. 466.* Sylvestre autem sæpe rustici synonymum est. *Faber in thesaur. voce rusticus, & voce Sylvester.* 2. Quod ad urbem pertinet, ut in illo militari dictorio: Urbani servate uxores, mœchum calvum adducimus; *Sveton. in Cesare cap. 51.* quo referenda distinctio prætorum in urbanum, qui inter cives, & peregrinum, qui inter peregrinos Jus dicebat. *vid. Volaterran. comment. urban. lib. 29. Lips. de Magistr. pop. Rom. c. 10.* 3. Quod est elegans. Quo nomine dum villam describit Plinius, opus urbanissimum appellat *lib. 5. ep. 6. p. m. 342.* contra rusticum opus dicitur in architectonica, quod robor magis quam elegantiam respicit. *vid. Dn. Kaschube curs. Math.*

E

p. 170.



p. 170. Sic homo urbanus dicitur, qui moribus politus & decorus, rusticus, qui indecorus. *Erasm. chil. 3. p. 522. & chil. 2. p. 393.* vel homo urbanus dicitur comis, rusticus barbarus; *Perott. p. 174.* & hinc urbanus sæpe accipitur pro scurra:

Urbanus cœpit haberi  
Scurra vagus. *Horat. lib. 1. ep. 15.*

Rusticus contra pro modesto & non petulanti  
& poterit dici petulans, quæ rustica non est,  
& poterit dici rustica, si qua proba est. *Ovid. de rem. amor. lib. 1. p. 204.*

Denique sermo urbanus est facetus, & opponitur ita urbanitas sermonis rusticitati, qua convitia comprehenduntur. *vid. Perott. p. 132. & pag. 353.* Quæ omnia ideo adducenda visa sunt, ut si forte ædificium rusticum appelletur, vel aliud quod urbanum, quo sensu id fiat, apparere possit. In se enim & quatenus prædium si consideremus, urbanum prædium est ædificium, & omne ædificium prædium urbanum. E contra rusticum prædium id omne dicitur, quod ædificium non est, nullo habito respectu ad usum, locum, vel aliud quodcunque.

§. II. Addiscimus hunc conceptum vel ex  
ipsis



ipsis imperialibus institutionibus, ubi servitutēs,  
 quæ ædificiis inhzrent, ideo urbanorum prædio-  
 rum dicuntur, quoniam ædificia omnia urbana præ-  
 dia appellamus, etsi in villa ædificata sint. Solent  
 alias JCrorum canones urgere, quod generaliter  
 dictum generaliter debeat intelligi. *Colerus sentent.*  
*p. 208.* Quicquid de genere verum est, idem in  
 omnibus valere speciebus. *Cubach. brocard. c. 22.*  
*br. 2.* generalibus semper inesse specialia, *Stephani*  
*Dialect. Jur. lib. 2. loc. 10. § 9.* imo expressionem  
 generis operari idem, ac si singula essent species ex-  
 pressæ. *Barbos. thes. axiom. lib. 7. c. 2. ax. 11.* & quæ-  
 vis etiam minima comprehendere, *idem axiom. 12.*  
 Mirum est, cur hic eorum nullum applicaverint.  
 In primis, cum non ædificia tantum, sed omnia ædi-  
 ficia urbana prædia appellentur, & vox omne uni-  
 versitatem ex ipsis JCrorum regulis denotet. *vid.*  
*Joh. Donatus à Fina conclus. Jur. lib. 5. fol. 378* ni-  
 hilque excludat, *Thomasettis Flor. leg. reg. 269.* &  
 à genere indefinite posito multo magis cum signo  
 universali argumentum ducant. *Stephani Dial. Jur.*  
*lib. 2. p. 159.* asserantque, ne quidem per speciem  
 expressam genus minui, sed eam ex abundantia ad-  
 jectam ceteri. *Coler. Sent. pag. 209.* Nullumus  
 ex his regulis sententiam nostram probare, sed pa-



rum solatii illis dieteriis inesse, haud diffitemur; id tantum volumus, absque ratione. Ceteros in hac causa ab eo, quod in illis naturale est, vel ab ipsis receptum, recedere. Lex enim non tantum generaliter loquitur, sed ut generalitas magis firma sit, generi universale signum jungit, utque omnis dubitatio praecludatur, addit, etsi in villa aedificata sint, ne quis ex vulgari significato, quem §. praeced. tetigimus, exceptiones in vitis legibus comminiscatur, & tamen DD. dicunt, haec verba non absolute, sed restrictive, scilicet ad cerebrinum commentum intelligenda esse. Unde videmus subinde ad hunc textum notari à commentatoribus: modo tamen hominis gratia habeantur, quæ limitatio nec in hoc, nec in aliis textibus additur. Solent eam probare ex eo, quod non locus faciat praedium urbanum vel rusticum, sed materia seu usus, *l. 198. ff. de V. S. vid. Stryckius jun. ad §. 1. b. t.*

§. III. Sed hæc ipsa *l. 198.* non impugnat thesin nostram, sed maximopere confirmat, ut accuratius scrutinium mereatur. Dicit illa: *Urbana pradia omnia adificia accipimus*, & sic æque universalis est, ac praecedens §. Institutionum, addit: *non solum ea, que sunt in oppidis, sed & si forte stabula vel alia meritoria in villis & in vicis, vel si prætoria*



*toria voluptati tantum deservientia.* Hic ergo satis manifeste confutantur illi, qui usum urbanum, i. e. inhabitationis, requirunt in urbanis prædiis, usum rusticum in rusticis. Sed tamen illi in his ipsis verbis quærunt præsidium; dicunt enim, non hæc omnia urbanis prædiis accenseri, sed quatenus voluptati deservientia. Verum hæc legis verba non ad omnia enarrata pertinent, sed ad prætoria tantum. Neque disquiritur, utrum voluptatis, an fructuum causa habeatur, sed generaliter dicitur, quod omnia ædificia sint urbana prædia, tam quæ in oppidis, quam quæ in villis, tam quæ inhabitantur, quam quæ voluptati deserviunt. Hinc voluptatis mentio. Nam alias certe & stabula, quorum mentio fit, ad voluptatem pertinerent, vel plane omnis ager, quia res rusticas etiam delectationis causa invisimus. *vid. Cic. de Orat. Lib. 1. c. 249. p. 191.* Subjungit ergo lex, urbanum prædium non locum facere, sed materiam. Locum non facere prædium, admittunt; materiam facere, non admittunt, sed usum substituunt, vel tamen materiam usum denotare, contendunt. Quis vero unquam dixit materiam pro usu, Ictorum saltem vel plane Latinorum. Distingvunt enim, ut legem torqueant, inter materiam ex qua;



& materiam circa quam. Priori modo urbanum & rusticum pradium ex eadem materia esse posse, non posteriori, ubi per materiam circa quam intelligatur objectum circa quod, seu ulus, *et* qualitas, finis, aptitudo, opportunitas, ut sic non ipsum pradium sit pradium, sed destinatio patris familias demum faciat. *v. Zoes. ad ff. b. t. §. 22. Hopp. ad §. 1. l. de Servit. conf. Müller. ad Struv. exerc. 13. th. 5.* Sed quis Ulpianum docuit metaphysicam? unde Stoicus loquitur? non dicam, ut Aristoteles, sed ut scholastici recentiores, ubi alias distinguunt leges inter materiam ex qua & circa quam? Certe hæc explicatio non est ex lege, sed circa & citra legem. Cur autem legem ita explicant? Prompte respondent, alias enim omnia ædificia essent urbana, quod quidem est, ac si dicerent, alias vera esset lex hæc ipsa; alias verum esset ejus antecedens, quod, ut tollant, consequens detorquendum erat. Certe materia latinis nihil aliud denotat, quam ex qua aliquid fit, unde à matre dictum volunt. *Perott. in Mart. p. 171.* In specie vero dicitur materia lignum. Unde Faber materiarius. fabrica materia &c. *Perott. c. l.* Cuius hic sensus vel adhuc paulo specialior solemnior & frequens est, ut materiam appellent lignum ad ædificans.



ficandum comparatum. *v. l. ss. de legat. 3.* Unde hic pro synonymica locutione haberi potest, aedificium est praedium urbanum, & praedium urbanum facit materia.

§. IV. Sufficere haec possent pro vindicando genuino conceptu praediorum urbanorum, unde similes leges, quae aedificia urbana dicunt praedia, v. g. *l. i. comm. praed.* allegare & expendere super sedemus. Pro illustratione tamen & confirmatione uberiori thesios aggredimur tit. *ff. finium regundorum.* Ubi, cum *tam l. 2. quam 4.* nomen hoc ad rustica praedia restringat, utraque eundem urbani praedii conceptum prae se fert, utraque enim sans clare distingvit inter praedia rustica & aedificia. Unde aedificia urbanis aequi pollere, manifestum est. Vix est, ut has leges rite exponere queat, qui vulgaris sententiae praesudicio immerfus. Unde *Hunnus ad Treutl. Vol. 1. Disput. 20. th. 2. lit. e.* Dum ex legibus his docet, quod iudicium finium regundorum in praediis urbanis locum non habeat, addit: *De aedificiis tamen hoc solum accipiendum puto, quia statim subicit Paulus, in urbe hortorum latitudinem efficere posse, ut etiam finium regundorum agi possit. Equibus verbis plusquam manifeste relucet, non in omnibus*

bus



*bus urbanis praediis deficere actionem hanc finium regundorum, sed in aedificiis duntaxat &c.* Plusquam manifeste ex his verbis relucet, quod ad receptam ab autore hypothese ipsa lex misere torqueatur & restringitur. Nam vel ex hoc ipso, quod horti in urbe admittunt finium regundorum actionem, idque per particulas *& ideo* tanquam consuetarium regulae jungitur, apparet, quod horti in urbe sint praedia rustica, qualiscunque demum eorum usus sit, unde ut regula confirmetur: lex opponit aedificia in agris, & hortos in urbe. Senserunt hoc alii, & hinc dixere, in hac materia aedificia urbana convenire cum aedificiis rusticis sicut aliquando hortus cum fundis rusticis, *vid. Struv. exerc. 14. tb. 52.* quae convenientia singularis pro hac materia non erit, si concedas, omnia aedificia esse urbana, & hortos in solo sitos pertinere ad praedia rustica.

§. V. Sic & legibus quam maxime convenit haec sententia, & analogiae Juris est conformis, utinam & autoritatibus idem tam facile probari queat. Non tamen adeo recepta est illa distinctio ab usu & fine, ut non suspecta sit pluribus dissentientibus. Ipsi inter se non conveniunt, quis sit urbanus usus, quis rusticus. Ad rusticum pertinetio-



ceptionem fructuum referunt, sed quidam eos tantum, quos ipsi percipimus; alii etiam mercedem pro quo fructus alii relinquimus, ut *Zæsius de Servit. n. ult.* alii voluptatem, alii non; alii pecoribus destinata, alii non, ut *Althusf. Lib. 1. Dicoel. cap. 22. §. 20.* Plures dissensiones commemorat *Giesbert. ad Instit. de Servit. n. 95. sqq.* Multi penitus distinctionem ab usu rejiciunt, licet diversimode. Antonius quidem Matthæi, qui in cumulando antinomiarum numero sæpe præter necessitatem est facilis, hic quoque putat, alias leges ab usu, alias à loco prædia distingvere. *vid. Coll. Inst. 3. Dissp. 5. n. 73.* Brunnemannus distingvit inter popularem modum loquendi, & juridicum, *in paratit. ad Vvesenb. de S. U. P. qu. 2.* & juridicum putat vulgarem illum ab usu & fine, & paulo aliter inter absolute & relative acceptas *in Comment. ad L. 3. ff. de Servit.* Bachovius *ad Treutl. vol. 1. disp. 17. th. 1. lit. b.* ubi Glossam & DD. hic dormire dicit, à diversis juribus ex ipsa intrinseca natura diversimode distingvit. Vinnius *§. 1. J. de Servit. n. 1. & 2.* Bachovium sequitur, & cum Bachovio LL. obstantes arbitrio suo loqui, asserit, neque tamen tantam diversitatem pro varietate Jurium admittit, sed aperte dicit: Quoties de effectu Juris quæratur,

F

tur,



tur, quæ ædificiis inhæreant, urbanas, quæ locis puris, rusticas dici. Omnium autem maxime huc facere videntur Argentoratenses. Nam & Locamerus *ad pr. I. de Servit.* prædia urbana & ædificia pro synonymis habet, nisi quod paucas exceptiones admittat, & Colleg. Argentin. *ad tit. S. P. U. th. 2. sqq.* ejusque enucleator Biccus *cod. th. 2.* omnium optime rejicit distinctionem vulgarem, & omnia ædificia urbana esse dicit.

§. VI. Et si ab autoritate Glossæ discesseris, divinare vix poteris, unde vulgaris distinctio ab usu & fine pervenerit. Cum nulla plane lex ad eam vel aliquomodo inclinet. Solent adducere *l. 211. ubi in usurustica dicuntur*, si quidem legem mutilare velis. Nam alias clarissima est. *Fundi*, inquit, *appellatione omne ædificium & omnis ager continetur, sed in usu* (loquendi nam aliud est in usu, aliud ex usu) *urbana ædificia ædes, rustica ville dicuntur.* Ubi plane non disquiritur, quæ sint prædia urbana, quæ rustica, sed variis nominibus prædiorum, & distinctione inter ædificia, villas, arcem, agrum & fundum. Videtur huc lex tracta ex editione Gothofrediana, quæ nullum signum distinctionis habet inter ædes & rustica, quam tamen habent aliæ editiones & recentior Lipsienfis quod.



quoque, sine quibus etiam signa distinctionum mutare liceret, quamvis alias leges mutare sit periculofum. Sic & adduci solet *l. 166. de V. S.* ubi urbana familia à rustica genere distingvitur & videndum dicitur, quorum loco quemque dominum habuerit, item, *l. 10. de usu & habitat.*, quæ urbanam familiam opponit illi, quæ agri colendi illic fit. Porro *l. 12. de Suppellect. Leg.* ubi non loco, sed genere usus urbanus & rusticus servus, item urbana & rustica suppellex discernuntur. Sed ad has omnes ex §. 1. respondisse sufficit, illas de prædiis non loqui, aliudque esse familiam, aliud prædium distingvere. Idemque respondemus ad *l. 180. de V. S.* ubi tugurium, h. e. ædificium quod rusticæ custodiæ convenit, urbanis ædibus contradistingvitur.

§. VII. Ipsas ergo species urbanorum prædiorum aggrediamur, ut partim regulæ suæ subjiciantur exempla, partim satis fiat instantiis adversariorum. Non inhærebimus illis speciebus, quæ per se dubiæ non sunt. Sic nemo dubitat, habitacula (*Wohn-Häuser*) palatia, templa, Xenodochia & alias religiosas domos, de quibus *tit. X. de religiosis domibus*, cauponas, popinas, tabernas, balnea, esse prædia urbana, & è contrario agros,



arva, vineas, sylvas, prata, pascua, esse rustica. De quibusdam tamen major est controversia. Sic disputatur de horreo. Illi, qui ab usu praedia appellant, necessario affirmant, esse rusticum. Sed aperte contrarium probatur *ex l. 3. § 4. in quibus causis pignus tacite contrahatur*, & eodem suo modo collimat, *l. 22. C. de administr. tut.* ubi horrea contradistingvuntur praediis rusticis. Restringunt illas varie omnes ex supposito, quod supponi non poterat, quidam ad horrea urbanum usum habentia, sed talia receptacula rarius horrea appellantur; regulariter usus est rusticus, ut plane ab hordeo derivet. *Varro lib. 4.* Certe hic proprius sensus est, alter improprius. Lex vero generaliter & simpliciter differit. Alii restringunt ad horrea locata, sed his jam alii responderunt, quod mercedis perceptio non mutet rei qualitatem, *vid. Zoes. de servit. n. ult.* Eodem modo etiam tabernam caseariam, Molendina, furnum, de quibus leges nihil determinant, urbana esse praedia arbitramur, licet vulgo rustica velint. *vid. Leiser Jus Georg. lib. 1. c. 5. n. 29. seqq.*

§. VIII. De stabulis acius disceptant. Ex supposito nostro videtur fluere, quod sint urbana praedia, ex aliorum principio quod sint rustica; Leges



Leges modo his, modo illis patrocinari videntur. Sed nobis absolute ex ipso fundamento posito, his hypothetice nulla causa adjecta, *L. 198. de V. S.* stabula urbanis praediis annumerat, ex ratione adjecta, quia sint aedificia. Unde etiam domus dicitur jumentorum, *l. 13. in fin. de usufr. & promiscue stabularius dicitur recipere iter agentes l. un. in fine Furt. adv. naut. & jumenta, l. 5. naut. camp. stabul.* Sed obstare videtur *l. 4. ff. in quib. caus. pign.*, quae rustica dicit, & tamen illos, qui rustica volunt, mirum in modum torquet. Lex dicit: *stabula, quae non sunt in continentibus aedificiis, quorum praediorum numero habenda sint, dubitari potest. Et quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum à cæteris aedificiis separata sint.* Supponimus, hic legem nihil patrocinari communi opinioni, quia de usu ne verbum quidem habet. Nec ideo dicit, stabula rustica esse, quia usum rusticum habeant, sed quia separata à cæteris aedificiis; ubi non satis faciunt, qui hoc ita explicant, separata scilicet non loco, sed usu. *v. Hunnius ad Trentl. Differt. 17. tb. 1. qu. 1. ubi addit: nam cum dixisset generaliter Jct. stabula separata esse ab urbanis praediis, quid impedit, quo minus secundum alias leges Neratium interpretemur.* Recte quidem, sed ubi sunt illae leges



aliæ ab usu prædia & stabula discernentes? Clarus & alius legis sensus est ex præcedentibus, nam separatur ibi dicitur, quod non est in continentibus ædificiis. Alii ergo putant, hic rusticum dici, non in juridico, sed vulgari sermone à loco. *v. Mollenb. Divis. Jurid. cent. 1. divis. 90. lit. b.* Et hi quidem nobis non obsunt, licet vulgatus sermo in dubio allegandus non sit, sed termini artis ex artis consuetudine explicandi. Alii dicunt eorum, quæ extra ædes ut plurimum esse ulum rusticum. *v. Strauch. Differt. 7. §. 6.* Sed certe etiam eorum, quæ in continentibus sunt ædibus usus pecoribus destinatus esse solet. Unde Althusius *Dicaol. lib. 1. c. 22. §. 20.* Licet alias rusticum & urbanum ab usu distingvat, tamen usum rusticum tantum in conservandis fructibus constare putat, stabula omnia ad urbana refert. Genuinus legum sensus videtur esse, quod stabula in continentibus ædificiis h. e. quorum materia coheret, vel, quæ adjuncta sunt aliis ædificiis, quemcunque demum usum habeant, sint absque dubio urbana. Dubitari autem queat de illis, quæ non sunt in continentibus ædificiis, hæc est, non adjuncta ædificiis, nec coherentibus parietibus, sed ubi in humo erectum est tantum præsepe, ut videmus etiam num hinc inde ruri. Quod qui-



quidem Romanorum sermone tanto magis congruit, cum illis stabula dicantur loca, in quibus armenta in agris sub divo consistant. *vid. Perott. in Mart. p. 116.* quo respexisse videtur, *l. 15. §. 1. ff. locati.* ubi stabulis contradistinguit loca ubi greges stare oporteat. Et hinc lex quoad materiam pinguis æquiparat urbanis prædiis talia etiam stabula, quia perinde videtur seu inducas pecus in stabulum rite extructum seu in locum purum præcepti instructum.

§. IX. Haec ergo urbana prædia sunt, dubiis exempta. Super sunt rustica, dubia, imprimis area & hortus, quorum neutrum per se aut regulariter est prædium urbanum, licet tale fieri possit. Area quidem absolute considerata quemque locum vacuum denotat. Unde *Festus p. 17.* dictum putat, quasi exaruerit & non possit quidquam generare. Unde area ad exprimenda frumenta & legumina adhibebatur, *v. l. 14. §. 3. ff. de aliment. legat.* quo sensu aream esse rusticum prædium nemo diffitebitur. Neque urbanum fiet ex *l. 211. de verb. signif.* nam ibi de prædiis rusticis & urbanis nihil dici, monuimus supra §. 6. nec ulla est consequentia, locus sine aedificio in urbe area dicitur, ergo area est prædium urbanum. Potest tamen  
accens



accenferi prædiis urbanis, sed non aliter, quam in quantum est pars ædificii, ut dicit *l. 20. §. 2. de Servit. P. U.* & eodem sensu urbanis prædiis annumeratur in *l. 2. eod.* ubi cum tecto conjungitur. Hortus autem vulgo abusu vel urbanus dici solet, qui voluptati destinatus ut qui floribus, ficis, palmis, herbis medicinalibus instructus, vel rusticus, qui usui, ut vinarius, olitorius, pomarius, sed absque fundamento. Sanè hortus in stricto significato, qui vulgaris & fuit & hodie propemodum solus est, semper est prædium rusticum, unde & olim prædium rusticum & hortus erant synonyma. *vid. Plin. lib. 19. cap. 4.* & cum ab hoc latiori sensu recedebatur, tamen horti dicebantur illi agri, qui sepius solebant & instruebantur, oleribusque ac herbis, quibus in cibis usus esset. *vid. Faber voce Hortus.* Quales omnes pro rusticis habebunt. Nec est, quod objici possit, nisi *l. 198.* ubi hortos quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum, urbanorum appellatione contineri. Plane si plurimum horti in reditu sunt, magis hæc non sunt urbana. Sublata videtur omnis controversia, si expendamus, quinam sint horti in ædificiis constituti, quinam in reditu; & apud Romanos quidem hortorum cultura tanta non erat, quam



quanta hodie est, ut egregie ostendit *Leiserus lib. 3. cap. 7.* unde horti in loco puro ut plurimum in reditu consistebant, & in hoc ipso consistebat hortorum delectatio, ut idem *Leiserus* multis testimoniis comprobat. Ipsa tamen ædificia horti horti appellantur, & multis inserviebant habitationi ordinariæ. *vid. Plin. & Faber c. l.* unde horti æque ac villæ inhabitari dicuntur, *l. 5. §. 3. ff. de injur. & virgines desponsatæ per aliquot dies in hortis commorabantur. l. 66. §. 1. ff. de Donat. inter vir.* Et hos hortos probabiliter respicit lex cit. Inprimis autem lex respexit hortos pensiles, Romanis usitatissimos & propriissime in ædificiis constitutos, quod eo magis apparebit, si conferamus *l. 12. de S. U. P.* ubi talis hortus pensilis urbanis prædiis annumeratur, addatur *l. 79. de V. S.* De aliis vero hortis in civitate hic sermo non est. Imo tales horti in civitate difficulter tolerabantur. *vid. t. t. C. de ædific. privat.*

CAPVT IV. ET VLTIMVM  
 DE  
 GENVINA NOTIONE  
 SERVITVTIS VRBANAÆ.

G

Si ab



Si ab una parte prædium sit urbanum ab altera rusticum servitus dicitur à serviente, §. I. Et sic servitus alias rustica sit urbana, §. II. Alias urbana sit rustica, §. III. Responsio ad rationes dissentientium, §. IV. Differentia prædiorum urbanorum & rusticorum, §. V. Et dissertationis usus, §. VI.

§. I.

Supereſt, ut poſt conceptum tam prædiorum omnium, quam in ſpecie Urbanorum, ſervitutes quoque horum examinemus. Facilis in ſe conceptus ſervitutis eſt. Nec opus prolixè diſſerere, nos hic non de ſervitute perſonarum, ſed rerum, agere. Tralatitium quoque eſt, quod ſervitutes rerum ſint vel perſonales, ubi res ſervit perſonæ, vel reales, ubi res ſervit rei. Clarum, nos de poſtrema tantum agere, quæ & per excellentiam ſervitus dicitur: *arg. rubr. ff. de Servit. l. 1. §. 1. ff. comm. præd. Perez. ad C. de Servit. n. 1.* Et ſic cum dubium circa ſervitutis conceptum nullum ſit, ea vero, quæ circa prædia urbana eſſe poterant, ſublata ſint cap. præced. non opus videtur denuo de conceptu ſervitutis prædiorum urbanorum diſſerere. Sed adſunt utique difficultates oppugnandæ.



da. Licet enim, si praedium urbanum serviat urbano, absque dubio sit praediorum urbanorum, seu ut DD. malunt loqui, urbana, si rusticum serviat rustico, absque dubio servitus sit rustica. Sunt tamen adhuc duo casus dubii, quomodo servitus appellanda sit, si vel rusticum urbano serviat, vel rustico urbanum, quod fieri posse, & leges, & ratio, & experientia confirmat.

§. II. His ergo casibus licet vulgo respiciant dominans, rectius tamen & semper videtur attendendum esse ad praedium serviens. Ipsa haec ratio svadet, cum enim servitutis conceptus sit passivus, & saltem de Jure Rom. servitus in faciendo non consistat, sed vel in omittendo vel in patiendo, sequitur, quod in hujus termini passivi determinatione passivum praedium, h. e. serviens, inspiciendum sit. Leges generales quidem de hac materia in neutram partem adsunt, sed tot casus suppeditant, ut dubium superesse nequeat. Inspiciamus ante omnia *l. 11. de Public. actione*, ibi: *Urbanorum praediorum servitus dicitur, si per domum suam quis passus est aqua ductum transduci.* Videbis hanc legem cum aliis promiscue allegari ab iis, qui asserunt, quod servitutes praediorum, quae regulariter rusticae fiot, tunc urbanae fiant,



quando urbano praedio debeantur. Quomodo autem id ex lege hac demonstrant, non videas. Id lex dicit, aquaeductum posse esse urbanorum praediorum, licet in catalogo rusticorum alias invenitur. Sed id ob dominans fieri, non dicit, imo contrarium dicit, quid enim hoc est, *per domum passus est transduci*, quam, domus fuit serviens, ergo à servienti hac domo appellatur servitus urbana. Et cum urbanorum praediorum mentio fiat, hoc exemplum subjicitur per particulam *forte si*, & domus mentio fit, ut appareat, cur servitus regulariter rustica urbana effecta sit. Sic iter etiam licet regulariter annumeretur servitus R. P. potest urbanis annumerari, si praedium serviens sit tale. Duplicem hac de re casum habet *Tit. ff. Commun. praed.* Alter est *in l. 7.* ubi quis impetrat iter per aedes, & *l. 14.* ubi circa praedia urbana necessarium esse dicit, iter constitui, ut quia interdum duntaxat eat. Sane haec lex non respicit dominans, hic enim nulla necessitas, cur non etiam nocte eatis, qui domum habet, per alterius agrum, sed respicit serviens, ne scilicet domino aedium servientium necesse sit, nocte surgere & alteri fores aperire.

§. III. Vidimus, quomodo ob praedium serviens servitus alias rustica urbana fiat; jam videae



deamus, quomodo ob prædium serviens servitus urbana fiat rustica. Ostendit hoc l. 2. de S. P. R. ibi: *rusticorum prædiorum servitutes sunt, licere altius tollere.* Certe servitus altius tollendi alias est urbana, hic rustica fit non ob dominans. Nam dominans etiam est urbanum; quia ipsi licet altius tollere. A serviente ergo ut appelletur, necesse est. Sed alius casus in eadem lege est, qui ob stare videtur, scilicet rustica quoque servitus dicitur cloacam habere licere per vicini domum. Hinc prædium serviens est domus, & tamen servitus rustica. Sed hic ante omnia supponimus, quod si etiam hæc verba nobis contraria habeantur, adversarios tamen non juvent, sed illis etiam sint contraria. Quæ ratio etiam videtur, cur hæc verba urgeri vel objici non deprehendam. Nam cloaca regulariter est servitus urbana, cur hic fit rustica? A serviente? hoc nolunt. A dominanti? unde cloaca nisi ex domo. Accedit casus præcedens, qui adversariis satis obstat. Interim concilianda est lex, quam obscuram & impropriam recte dicimus, cum miram dixerit Brunnem. comment. ad h. l. Videtur autem etiam hic (neque enim aliter potest) cloaca rusticis accenseri, quia per domum, quod ipsæ leges urgent, ducitur. Sa-



tis autem inconueniens, cloacam per testum concipere, & necessario concipienda per aream. Area regulariter est rustica in respectu ad aedes urbanas per dicta cap. præced. Hic quidem commode poterat area haberi pro parte domus, & sic urbana; quia tamen in cloaca non tam domus, quam sola area respicitur, eo sensu rustica dicitur. Cum enim aquaeductus, qui inter seruitur. rust. est, si per domum ducatur, fiat urbana, *l. 11. de public. actione*, cloaca, quæ urbana regulariter est, per domum ducta, per se non potest fieri rustica.

§. IV. Nec video, quid rite objici queat, vel quibus argumentis contraria sententia probari. Ad Glossam provocat *Schneidew. ad pr. Inst. de Seruit. n. 8.* Sed illa & hic, & in præcedenti capite, & in aliis materiis sat multis est errorum genetrix. Ipsi autem Glossæ error hic natus inde videtur, quod cum seruitus personalis & realis à dominantibus appellentur, hoc ad realium subdivisionem applicarint, cum tamen ibi utrinque seruiat res, & sic nomen à seruienti imponi non potuerit. In alia vero inter seruitutem personarum & rerum omnino etiam seruiens respiciatur. Vulgaris ratio esse solet, quia à potiori fiat denominatio. *vid. Zoes. de Seruit. §. 23. Giesbert. Just. Harm. de S. R. ll. P.*



*Ul. P. n. 28. § 99.* Sed hæc ipsa regula nondum factis probata est. Barbofa *Lib. 4. c. 24. axiom. 19.* adducit pro probando axioma, *l. 27. §. 2. de acquir. Dom.* ubi de ferruminatione, & *l. 10. de statu hom.* ubi de Hermaphrodito. Neutra lege de denominatione agitur, & si ageretur, non valet consequentia à rebus vel arte, vel natura conglutinatis ad res separatas & ad invicem solum relatas. Sic certe matrimonium à potiore non dicitur. Imò admittamus à potiori fieri denominationem, potius hic erit serviens; nam in hoc ipsum servitus semper exercetur, cum prædium dominans non semper, sed ejus possessor exerceat Jus suum, LL. autem multis nullae citantur, & quae ab aliis citari solent, nil probant. Video hinc inde allegari *l. 34. de S. R. P.* Sed cum nil ad hunc casum contineat, conciliatione non indiget. Binæ adhuc leges allegari possent, *l. 2. §. 20. §. 1. de S. P. U.* Sed utraque agit de area, utraque conciliata jam cap. præced. §. fin. utraque se ipsam explicat. *Lex 2.* quidem dum aream tecto jungit, & sic in respectu ad ædificium considerat, *l. 20.* dum sequenti statim Spho aream partem ædificii appellat.

§. VI. Finem ergo huic tractationi imponeremus nisi de usu illius pauca dicenda superessent. *Dictum est cap. 1. §. ult. nomina, appellationes,*



tionēs, conceptus rerum omnino disquisitionem  
 mereri, si differentia insignes intercedant. Sunt  
 vero differentia sat multae inter praedia urbana &  
 rustica, quas uberius explicaremus, nisi prope-  
 diem alia occasione commodiori id fieri deberet.  
 Breviter tamen delineabimus, & quidem (1.) pra-  
 diorum urbanorum servitutes non aliter tolluntur,  
 quam si libertas praescribatur, rustica per solum  
 non-usum, *v. l. 6. de S. P. U.* quod illustrat *Perez.*  
*ad C. de Servit. n. 30.* (2.) Urbanae acquiruntur  
 praescriptione ordinaria, in rusticis quibusdam in  
 locis requiritur praescriptio immemorialis. *v. Myn-*  
*sing. cent. 4. obs. 53. Mev. P. IX. Decis. 164. Stryck.*  
*Uf. modern. de servit. §. 6. sqq.* (3.) In praediis ru-  
 sticis relocatio fit ad annum, in urbanis prout quis-  
 que habitaverit. *v. l. 13. §. f. locat. Müller. ad Struv.*  
*exerc. 24. lb. 7. lit. λ.* (4.) In praediis rusticis da-  
 tur actio fin. regund, non in urbanis. *l. 2. §. 4. ff. fin.*  
*regund. Perez. ad C. tit. fin. regund. n. 9.* (5.) In  
 urbanorum refectionem qui credit, habet pignus  
 tacitum in ipsum praedium, non qui in rustici re-  
 parationem, *v. l. 1. in quib. caus. pign. tacit. conf.*  
*Lauterb. Colleg. maj. lib. 20. tit. 2. n. 78. sqq. ubi §.*  
*73. hic etiam putat singulariter convenire ad fidei*  
*rustica cum urbanis.* (6.) In urbanum praedium  
 illata



illata sunt tacite oppignorata, non in rusticum;  
*Habn. ad Vvesenb. in quib. caus. n. 1. (7.)* Ob su-  
 pervenientem necessitatem à locatione prædiorum  
 urbanorum receditur, in rusticis ea vix allegari  
 potest. *vid. Schilter. exerc. 31. §. 20. in addit. lit. a.*  
 (8.) Addebat Jus antiquum, quod prædia mino-  
 rum urbana alienari possent, non rustica. *l. 1. ff. de*  
*rebus eorum, qui sub tutela. Quod sustulit l. 22. C.*  
*de administ. tut. Tholosanus Syntagm. Jur. Univ.*  
*lib. 12. c. 3. n. 16.*

§. VI. Jam si assumatur casus qualiscun-  
 que circa prædia, quæ alia ex usu, alia ex materia,  
 & applicentur differentiæ connumeratæ, illæ si non  
 omnes pleræque tamen insignem ostendent usum  
 & differentiam in effectu, diversa Jura. Imo mul-  
 ta absurda ex usu sequentur, quæ ex materia non  
 sequuntur. Vidimus *cap. 3.* horrea omnia urba-  
 na prædia esse, ab aliis vero, quæ frumentis conser-  
 vandis usui veniunt, pro rusticis, quæ aliis rebus,  
 pro urbanis haberi, Titius habet horreum, quod  
 servit prædio Titii vel (si in hoc quoque capite dis-  
 sentis, & à dominante naturam servitutis dijudi-  
 cas) cui servit Caji prædium, horreo hoc utitur ad  
 frumenta condenda, jam erit prædium rusticum.  
 Vendit agros, frumenta non habet, non recondit,  
 H fit



fit mercator, merces in horreum invehit. Jam sit  
 praedium urbanum. Mercatura facit ipsum locu-  
 pletem, emit praedia, agros, fructus iterum in hor-  
 reum recondit, jam iterum erit rusticum praedium,  
 & sic porro. Quid juris erit interim circa amissionem  
 & praescriptionem. Alterum casum addere  
 liceat. In patria nostra & alibi etiam ruri aedificia  
 ita disposita esse solent, ut unum & pecora & ho-  
 mines inhabitent, saepe intermixtis partibus ple-  
 rumque anteriori pecoribus, posteriori hominibus  
 destinata. Tale aedificium ad aliquod tempus  
 tibi locavi. Finitum tempus est. Ego te non ex-  
 pello, tu non recedis. Facta est relocatio in an-  
 teriori parte ad annum, ubi manebunt pecora tua:  
 in posteriori forte ad anni dimidium, ubi receden-  
 dum tibi erit. Quotidie hoc accidit. Ut tamen  
 adhuc clarius tricae sententiae contrariae appareant,  
 finge, in 10. partes distributas aedes esse. Primam  
 tenere agalones, secundam equos, tertiam furno  
 occupatam, quartam autem a vaccis, quintam  
 scribae destinata, sextam lacti & similibus, sep-  
 timam dominum habitare ipsum aedium, octa-  
 vam asservare frumenta, nonam servos & ancillas  
 habitare, decimam gallinas & anseres. Quid  
 tan-



tandem evadet, si ex usu metiaris, nisi summa rerum & jurium omnium confusio? quae metueda non est, si cum legibus & secundum earum analogiam ratiocineris.



COROLLARIA.

I.

Servitus, quae in faciendo consistat, absque speciali legis dispositione constitui nequit.

2. Servitus oneris ferendi est irregularis.
3. In negatoria actione probat reus, etiamsi sit in quasi-possessione servitutis.
4. In servitute altius tollendi supponitur statutum, ne altius aedificetur.
5. Ususfructus cessione non amittitur.
6. Fundi usufructu concesso venari non licet.
7. Vindicatio, in quantum quis locupletior factus, non datur.
8. Usuras particulariter solutas ultra alterum tantum non deberi, nulla lex dicit.
9. Forum domicilii est generale, ut nulla detur exceptio.
10. Pater ad ducendam filiam omnimodo obligatur, seu promiserit, seu non, sive sit in potestate, sive emancipata.

H 1

II. Al.





11. Alveus derelictus ad pristinum dominum non aliter pertinet, quam si cum impetu recedat.
12. Remedium peculiare L. fin. C. de edict. D. Hadr. toll. est non ens.
13. In errore circa emtionis accessoria interpreta- tio nec præcisè contra emtorem fit, nec contra vendi- torem.
14. Sponsalia de futuro priora præferenda sponsa- libus de præsentì posterioribus.
15. Si ad posteriora sponsalia accedat benedictio, præferuntur.
16. Mater in tutore petendo annum non potest ex- spectare, nisi singularia adsint impedimenta.
17. Quinque demum liberi à tutela excusant.
18. Libellus famosus non est, ubi nomen auctoris appositum.
19. Exceptio privilegaria non numeratæ pecuniæ hodie vix admitti potest.
20. Usus hodiernus, quando contrariatur theo- reticorum doctrinis, cum ipsis legibus ut plurimum con- gruit.

SOLI DEO GLORIA.





Jena, Diss., 1717


(X 2583 127)

V078









B.I.G.

Farbkarte #13

*N. Pragmanni Juris publici professoris: etc.*

2723  
1799  
1713/12  
17

NICOLAI PRAGEMANNI,  
ICTI CELEBERRIMI  
IN ACADEMIA FLORENTISSIMA SALANA  
COMMENTATIO IVRIDICA  
DE  
GENVINA NOTIONE  
SERVITVTIS  
PRAEDIORVM VRBANORVM,

GERMANIS:  
Vom Unterscheid der Stadt- und Garten-Lust-Häuser, auch  
Mayerhöfe, deren schulbigen Erdkultungen in Durch- und Wassergängen, in  
Licht- Bau- Trauf- und Zaun-Rechten, 2c. 2c. bestehend.

QVONDAM  
ET QVIDEM D. XVI. IVLII A. MDCCXVII.  
E CATHEDRA PVBLICA DISPVTATIONIS LOCO  
EDITA.



I E N A E,  
REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1759.